

PIUS ADFECTUS,

quò
Reverendum perquam Reverenda

FRATERNITATIS

in Dioecesi PIRNENSI Collegium,

sub ipsis SYNODALIBUS horis
*ex debitâ animi observantiâ compellare
volebat*

PIRNAE d. IV. Julij, MDCC LX.



IN PACEM coeunt, qui, bella cruenta sequuti,
Immani EUROPAM corripuere metu.
PACEM alit HISPANUS: GALLUM VENUS ambit IBERA,
Et risus populo mille jocosque parit.
De CAROLO plausus fremit ANGLIA tota recepto,
Factaque, non-lepide facta, priora vocat.
Ponit & arma ferox POLONIA: DANIA ponit;
Mitia cum Regnis SVECIA corda capit.
MARCHIA, detestata acies, agit otia felix:
Arma silent BELGAE: CAESARIS arma silent.
Quid Vos? quæ studia ORBIS amat, laudatis & Ipsi,
Insignes meritis & pietate Viri.
Clamat id hæc SYNODUS: Lux hæc est aurea testis,
Quæ Vos concordie foedere læta ligat,
Et recolit, quod pæne olim sepeliverat ætas,
Ætas, tot belli debilitata malis.
Scilicet ARMA SILENT INTER tristissima LEGES,
Candida PAX iterum quas animare solet.
Macti animis! Estote Viri! Subscribite DIYAE:
Voce sit unanimi, quod jubet ista, ratum!
PACIS amans ubi regnat EROS, res parvula crescit:
Ingentes, ubi ERIS, disjiciuntur opes.
Credite; res etiam vestra auctus sumet opimos,
Si FRATRI FRATER, non Inimicus, erit.
Audiet AUDITOR, studioque accensus eodem,
Per Vos ingenui carpet Amoris iter.
Gaudebunt VIDUAE: luctum solabitur ORBUS;
Se dulci adfectum quisque videbit ope.
At cœloresidens, PACEM qui dividit Orbi,
Innectet vestris ferta decora comis.
Ferta, quibus gestit gens, quæ colit æthera, tantum:
Serta, quibus MITES PACIFICIque micant.
O Vos, cum TERRAE quibus est Mens una MONARCHIS!
Quos COELI omnituens ipse MONARCHA fovet!
Nobile quid VOBIS dicam magis atque beatum?
O clari meritis, o pietate VIRI!

M. TOBIAS Petermann /

P. Laur. Cæf. ibid. Scholæ
Rector.

DRESDÆ,

ex Officina BERGENIANA.